

## Nº XIV.

*De moneta fabricanda.*

A. D. 1433.

An. 11. H. 6.

Vasc. 11. H.

6. m. 11.

**R**EX, senescallo suo *Aquitania*, & constabulario suo *Burd-*  
*galia*, vel eorum locatenentibus, qui nunc sunt, vel qui  
 pro tempore erunt, salutem. Quia, ex relatu, fidedigno, accepi-  
 mus quod moneta, tam de auro, quam de argento, & moneta  
 nigra, in castro nostro *Burdgalia*, per certas personas ad hoc  
 specialiter deputatas, cudi, fieri, & fabricari solebant, quæ qui-  
 dem moneta, in castro prædicto jam a diu est, facta non fuit,  
 neque fabricata, in nostri præjudicium, ac subditorum nostrorum,  
 ducatus prædicti, dampnum non modicum & gravamen, nos (in-  
 dempnitati nostræ in hac parte prospicere volentes ut tenemur)  
 vobis, de avisamento & assensu concilii nostri, mandamus, & ple-  
 nam, tenore præsentium, committimus potestatem, ad monetam,  
 tam de auro & argento, quam nigram, infra castrum prædictum  
 de eisdem cunagio, allaia, assaia, & pondere, prout temporibus  
 dominorum *E. Ricardi* secundi post conquestum, *H. avi* nostri  
 & *H. patris* nostri, nuper regum *Anglia*, & eorum locatenen-  
 tium, seu senescallorum ducatus nostri prædicti fieri consuevit,  
 cudi & fabricari faciendum; proviso semper, quod nobis, de  
 omni eo, quod ad nos pertinet in hac parte, fideliter respon-  
 deatur, ut est justum; damus autem universis & singulis justici-  
 ariis, officariis, ministris, ligeis, & subditis nostris ducatus nostri  
 prædicti, tenore præsentium, firmiter in mandatis, quod vobis,  
 in executione præmissorum, intendentes sint, consulentes &  
 auxiliantes, quotiens & quando per vos, ex parte nostra, fuerint  
 debite requisiti. In cujus, &c. Teste rege apud *Westmonasterium*  
 23 die martii. Per breve de privato sigillo.

RYMER, tom. 10. p. 544.

*De*